2

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

DIARRHOEA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

CAMPBELL BETHAM,

SCOTUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

ILLUSTRISSIMO

ATQUE

ORNATISSIMO DOMINO

BASILIO GULIELMO

DOMINO DAER,

QUI,

Animo vere generoſiſſimo integerrimoque

Praeditus,

Philoſophiam atque omnem doctrinam politiorem,

Artemque ingenuam,

Miro amore et felici cultura,

Proſequitur;

Hanc, qualemcunque diſſertationem academicam,

Grati animi, ſummaeque obſervantiae,

Teſtimonium,

Dicatam voluit

CAMPBELL BETHAM.

Dr Duncan. —

with most respectfull comps

from the Author. —

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIARRHOEA.

QUAMVIS diarrhoea, ſive alvi fluxus, inter morbos ſit, qui ſaepiſſime occurrunt, curamque medicorum fere quotidianam ſollicitant, facie tamen adeo diverſa ſeſe prodit, ut vix poſſibile ſit aliquam proferre definitionem univerſalem, quae omnes ejus ſpecies rite complecti queat. Sequens autem, ſi quid ego judico, ad veram quam proxime accedere videtur.

Diarrhoea dejectio eſt, frequens, copioſa, materiae liquidae, plerumque foeculentae.

Ab auctoribus, antiquis omnibus, nuperis etiam quibuſdam, hicce morbus ab aliis, qui ei

A saepe

faepe fimillimi funt, adeo imperite diftinguitur, ut ex fcriptis eorum vix ullam ejus certam diagnofin reperire poffimus. Hoc autem non folum ad rei difficultatem, fed etiam ad obfervationem, faepe minus accuratam, referendum eft. Nam etfi fateri cogimur, in quibufdam exemplis admodum effe difficile, medico etiam fagaci, *fymptomata* hujus morbi *diagnoftica* inveftigare, revera tamen ab omnibus aliis morbis differt, curationemque diverfam poftulat. Me igitur hanc qualemcunque differtationem rite aufpicaturum duxi, fi primum omnium quae ad hunc morbum recte internofcendum videantur, adeoque ad meam definitionem fuffulciendam conferant, ad examen breviter revocarem.

I. Ex morbis qui diarrhoeam maxime referre videntur praecipuus eft *dyfenteria*, quam non folum vulgus, fed medici etiam pertiffimi, haud fatis accurate a diarrhoea diftinxerunt. Varia tamen funt quae difcrimen, idque maximi momenti, inter eas ftatuere videntur.

1. In fere omnibus enim dyfenteriae exemplis, ineunte morbo, adeft febris, quae, nifi auctores nos fallunt, in exemplis etiam plerifque mitioribus obfervanda eft. Diarrhoeam vero febris

bris raro comitatur, quae, ſi unquam occurrit, non, niſi vigente morbo, ſeſe prodit.

2. In dyſenteria, quamvis ipſis morbi initiis, alvi dejectiones, primo et etiam ſecundo die, ſolita ſua facilitate et ſpecie interdum fiant; ulterius tamen progrediente morbo, ſtercus naturale raro dejicitur, et, ſi aliquando provenit, non niſi ſcybalorum vel faecum diu retentarum forma ſe oſtendit. Parciores etiam ſunt plerumque dejectiones, et fere ſolum ex muco inteſtinorum craſſiorum conſtantes, haud raro ſanguine commiſtae. Atque parcas has excretiones tormina violentiſſima, vehemenſque ſemper deſidendi cupiditas comitari inveniuntur. In diarrhoea, e contrario, alvi levationes, dum facile et ſine dolore vehementi eveniunt, praeter ſolitum molles, liquidae, et copioſae ſunt, atque vix unquam ſanguine tinctae, niſi forſan quum morbus ſolito violentior evaſerit.

3. In dyſenteria, ſi auctoribus credendum eſt, qui hunc morbum diligentiſſime obſervarunt, faeces odorem putridum peculiarem emittunt. Cujus rei ratio forſan deduci poteſt ex eo quod febris in corpore vigeat, quaeque majorem putredinem in fluidis quae in canalem inteſtinorum infunduntur efficiat. Omnes autem medici,

dici, effluvia, quae ex hac faecum putredine oriuntur, appropinquantes eodem morbo afficiendi vim possidere animadverterunt. Unde fit ut a medicinam facientibus dysenteria inter morbos contagiosos merito recenseatur. Atqui in diarrhoea nullus faecum foetidus odor singularis ejusmodi unquam sentitur, nec in ullo unquam exemplo hicce morbus contagiosus reperitur.

His igitur rebus, quibus diarrhoea et dysenteria inter se differre videntur, bene perpensis, quivis medicus peritus, sine ulla dubitatione, alteram ab altera, omnibus fere exemplis, primo intuitu, facile dignoscere poterit. Sin autem unquam fieret ut in errorem in hac re induceretur, id tantum evenire possit ipso dysenteriae initio, quando morbus hicce sub specie sua lenissima sese ostenderit. Error autem ejusmodi haud diuturnus esse potest. Progrediente enim morbo paulo ulterius, indicia haud dubia *diagnostica* brevi manifesta erunt.

II. Alter est morbus qui diarrhoeae in quibusdam admodum similis esse invenitur; is scilicet cui nomen *cholera*. Cuivis autem observatori diligenti sequentia indicia ad hujus ab illo distinctionem, in plerisque haud obscuram, constituendam valebunt.

In

In hoc quidem, quamvis alvi dejectiones liquidae, copiosae, frequentesque adsint, eas tamen vomitus semper comitatur, bilisque copia magna non solum deorsum, sed et sursum ejicitur, cum torminibus ventris violentioribus, et musculorum abdominalium contractionibus spasmodicis, quibus brevi etiam membrorum, et praecipue surarum, spasmata succedunt. In illo vero, nausea quidem rarius, vomitus autem bilis nunquam, adesse observatur. Haud tamen dissimulandum, causas cholerae remotas, gradu minori occurrentes, non nisi diarrhoeae speciem efficere valere; quae res nonnihil haesitationis et ambiguitatis in talibus hujus morbi formis dignoscendis creare possit.

Quod quum ita sit, causae occasionales, aegri temperamentum, coelique natura in consilium adhibita, opem non contemnendam medico afferre inveniuntur. Cholera enim in regionibus meridiem versus frequentissime occurrit, iisque fere peculiaris est; septentrionales quidem, nisi anni tempestatibus calidissimis, raro invisens. Sin autem cholera, sub specie adeo miti ut eam a diarrhoea, cui nomen *biliosae* *, medici dederunt,

* Sauvag. Vol. 2. Spec. 8. p. 357.

runt, vix poſſibile ſit diſtinguere, ſeſe oſtenderit, haud forſan operae pretium erit de diagnoſi ejus nimis ſolicite diſquirere, quippe in talibus exemplis idem ſit cholerae ac diarrhoeae regimen atque curatio.

Prolatis igitur, quantum ad rem noſtram facere videbatur, ſignis quae inter diarrhoeam morboſque ei ſimiles diſcrimen conſtituunt, proximum eſſet ut varias ſpecies, quibus diarrhoea ſeſe oſtendit, exponere conaremur. Quod autem ut melius effectum demus, res neceſſario poſtulare videtur, ut quae ſint ſymptomata in unaquaque morbi ſpecie pro certo enumerare poſſemus. Hunc tamen finem quo minus recte aſſequamur, impedit non ſolum propriae obſervationis defectus, ſed etiam auxilii in his rebus a ſcriptoribus ſuppeditati inopia. Ad hunc defectum ſupplendum accuratam cauſarum diverſarum remotarum, ex quibus hic morbis oriri videatur, inveſtigationem quodammodo collaturam arbitratus ſum.

In his igitur cauſis pro virili enumerandis, hoc in anteceſſum mihi concedendum ſpero, nullam exiſtere poſſe excitantem diarrhoeae cauſam, quae motus inteſtinorum *periſtaltici* impetum non augeat.

Haud

Haud equidem ſum neſcius, multos fuiſſe medicos qui ex inteſtinorum aucta laxitate et ſtatu quodammodo paralytico, quae ibi continentur facilius et velocius ad inteſtinum rectum tranſire, indeque diarrhoeae ſpeciem exhibere, putaverint. Sed quibus rationibus haec nitatur opinio, admodum foret dictu difficile. Nam liquido conſtat, ex flexu nunc ſurſum nunc deorſum inteſtinorum facto, faeces, quibus proprium pondus pro cauſa deſcenſus praecipua habendum eſt, nunquam, identidem obſtante vi gravitatis, ſurſum aeque ac deorſum meare poſſe; quod quidem neceſſario, idque velociter, in hoc morbo gignendo, faciendum eſt. Neque hoc facilius fieri poteſt recumbente corpore. Tali enim ſtatu, faecum pondus, quod maxime deſcenſum efficere putatur, omnino eſſet ad hanc rem inutile.

Praeterea, bene notum eſt, ubi octavum par nervorum in vivis animalibus perſectum vel compreſſum fuerit, ventriculum, ſimul ac ullo modo paralyticus evaſerit, quae in ſe continerentur omnem expellendi vim perdidiſſe: Et occurrunt quotidiana exempla, alvo adſtricta, ex ventriculi inteſtinorumque debilitate laborantium, qui alvum ſolutam ex ſtimulo adhibito, extemplo ſentiant.

In

In *lienteria* quoque putarunt medici laevitatem inteſtinorum cauſam eſſe tam ſubito faecum excretionis. Nihil autem evidentius eſſe poteſt quam quod, in hoc morbo, ventriculus et inteſtina in ſtatu ſint admodum irritabili, quodque, adhibito cibi ſtimulo, motus periſtalticus plane violenter ſit excitatus. Haud ideo tamen negandum, copioſiorem materiae mucoſae ſecretionem in canalem inteſtinorum effuſam, ita ut, aucto jam motu periſtaltico, meatum magis lubricum efficiat, velociorem tranſitum faecum magnopere poſſe promovere.

Ipſum quoque faecum pondus atque preſſuram, quae, praeſertim ex ſtatu corporis erecto oriuntur, ad motum periſtalticum excitandum, adeoque ad ipſas faeces celerius excernendas nonnihil conferre poſſe concedendum eſt.

Quum igitur haud ambigi poſſit, motus periſtaltici incrementum proximam eſſe cauſam diarrhoeae, omnes jam nobis enumerandae ſunt cauſae, unde hujuſmodi incrementum provenire poſſit. Hae autem in duas claſſes commode diſpertiri poſſe mihi videntur.

Prima eſt earum quae vim ſuam primitus oſtendunt in alias corporis partes, inter quas et inteſtinorum canalem conſenſus evidens exiſtat.

Altera

Altera eſt earúm quae canalem ipſúm inteſtinorum immediate afficiunt, ſuaque vi ſtimulante motúm periſtalticum accelerant.

I. *Cauſae aucti motus inteſtinorum periſtaltici quae alias corporis partes primitus afficiunt.*

Sub hoc capite complecti poſſunt varii affectus animi, quorum actio, ſine dubio, primitus eſt in cerebrum.

1. Inter hos metus praecipue recenſendus eſt, cujus non ſolum auctores, ſed et quotidiana obſervatio innumera praebet exempla, ubi hic animi affectus, ſubito et violenter ſuperveniens alvi fluxum extemplo ciet.

2. Sunt et alii affectus qui eandem rem edere obſervantur, qualis dolor animi vehemens; cujus exemplum inſigne nobis protulit in praelectionibus ſuis celeberrimus noſter praeceptor *Cullenus*, ubi mentionem fecit cujuſdam foeminae, quam, quoties ſubito moerore gravi correpta eſſet, ſtatim aggrediebatur diarrhoea.

3. Frigus etiam corporis extremitatibus admotum inter cauſas eſt diarrhoeae. Hoc egregie confirmat exemplum a *Rega* *, Profeſſore Lovanienſi, prolatum. ‘ Duci enim (inquit ille)

B ‘ Ferra-

* Vide opus ejus de Sympathia, p. 346.

'Ferrarienſi triduana alvi ſtypticitate laboranti, 'ſuaſit medicus ejus Michael Savanorola ut nu- 'dis pedibus ſupra pavimentum alabaſtrinum a- 'qua frigida prius conſperſum, incederet tanto 'felice effectu, ut nondum quinquaginta paſſus 'progreſſo, Principi alvus ſit ſoluta.'

Ex hoc fortaſſis exemplo ſimilem medendi methodum didicerunt alii medici; et ad alvum adſtrictam ſolvendam a ſe adhibitam ejuſmodi ſanationem in actis Edinburgenis narravit medicus quondam celebris, *Joannes Stevenſon* *.

4. Ejuſmodi etiam conſenſum inter inteſtina aliaſque corporis partes exiſtere manifeſtum eſt, ex eo quod in dentitione accidit. Infantes enim gingivarum irritatione, dum dentes prorumpunt, a diarrhoea corripi ſolere notiſſimum eſt.

II. *Cauſae motus periſtaltici aucti quae inteſtinis ipſis immediate applicantur.*

Variae quidem et multiplices ſunt cauſae, quae, ipſis inteſtinis immediate applicatae, motum periſtalticum augent; quae tamen omnia ad haec tria capita referri poſſint.

Primum complectitur irritamenta plurima quae per os ingeruntur.

Secun-

* Vide Edin. Med. Eſſays, Vol. vi. P. ii. p. 890.

Secundum comprehendit humores, ab excernentibus quae fluida ſua in inteſtina fere perpetuo effundere ſolent, infuſos, aliquando copia auctos vel indole mutatos.

Tertium denique illa, quae, extra tubum *inteſtinalem* genita, tunicas ejus erodendo in tubum ipſum ſe inſinuant.

De his igitur jam ſigillatim agendum.

1. Ex irritamentis quae per os ingeruntur, praecipua ſunt alimenta; haec enim, propter ventriculi debilitatem male concocta, atque hinc in inteſtina, ſtatu praeter ſolitum acri, recepta, motum de quo agitur velociorem reddere poſſint. Eadem etiam nimis copioſe in ventriculum, indeque in inteſtina admiſſa, ad iſtam diarrhoeae ſpeciem (uti ſcriptores optimi obſervarunt) quae vulgo *crapuloſa* nuncupatur, efficiendam valeant.

Sed alimentorum non ſolum nimia copia, verum etiam qualitas hos effectus gignere notatur; ſive enim ſaccharo ſeu ſale marino abundent, diarrhoeam inducere inveniuntur. Itaque pueri qui bellariis, caeteriſque cupediis ſaccharo repletis, nimis ſibi indulgent, hoc morbo affici ſaepe obſervantur. Idem uſu venire advenis pleriſque, loca inviſentibus ubi aqua eſt quodammodo *muriatica*, notiſſimum eſt.

Verum

Verum nulla alimenta, alvi fluxum cientia, notiora ſunt fructibus *acido-dulcibus*, non ſolum ſaccharo conditis, ſed etiam recentibus; unde fit ut, tempore autumnali, diarrhoea imprimis graſſari obſervatur. Quum autem quidam ſint homines qui hos fructus magni quidem copia aſſumant, nec tamen diarrhoeam patiuntur, dubitarunt nonnulli an fructus iſti propria qualitate alvum ſolvant, an tantum nimia copia bile commiſti purgantes fiunt. Non quidem inficias eundum eſt ejuſmodi fructus, magna quantitate ſumptos, propria ſua qualitate vim inteſtina ſtimulandi poſſidere; multo tamen probabilius videtur, eos plerumque motum periſtalticum augere, bilis effuſionem auctam ſolicitando, cum quae ea, certis proportionibus commiſtos, inteſtina ſtimulandi vim ſuam acquirere. Hanc quidem hypotheſin prae caeteris ſcriptores adoptaſſe videntur; remque ita ſe habere indicia non deſunt. Faecum enim color his exemplis ſemper plus minuſve viridis eſt, quod ex acidis cum bile commiſtis ſolum evenire obſervatur.

Res etiam putridae, in tubum inteſtinorum admiſſae, inter cauſas hujus morbi remotas cenſendae ſunt: Neque deſunt exempla numeroſa ubi ii qui res putreſcentes etiam parva quantitate ſump-

ſumpſerint, cito diarrhoea correpti fuerunt. Multi auctores eo uſque progreſſi ſunt, ut odores ex rebus putreſcentibus provenientes per halitum inhauſtos, cauſas dyſenteriae fuiſſe crediderunt; quum vero nulla ſunt indicia morbi ejuſmodi contagioſi hoc modo geniti, veriſimile eſt ejuſmodi morbum non niſi diarrhoeam fuiſſe.

Praeter id quod proprie dicitur alimentum, multae quidem res in ventriculum ſub nomine medicamentorum ſeu venenorum receptae, et in inteſtina delatae, eorum motum periſtalticum accelerare inveniuntur. In pleriſque tamen exemplis, ubi hoc fieri obſervatur, dejectio parum diuturna eſt, et ſaepe pro morbo vix proprie habenda. Sin autem eveniret, ut hae res majore quantitate acrioreque qualitate adhibiti fuerint, tum quidem fieri poteſt, ut morbus periculoſus inde ſequeretur; morbumque hujuſmodi, Noſologi, inter quos celeberrimus *Sauvageſius*, ſpecies diarrhoeae recenſentes, nomine *Diarrhoeae ex hypercatharſi* deſignarunt.

Canalis alimentarius vero, praeter ea quae per os ingeruntur, fluida quoque recipit diverſarum ſpecierum et qualitatum, quae non ſolum ad promovendas mutationes neceſſarias quas alimenta in meatu ad inferiorem partem ſunt ſubitura,

tura, ſed etiam ad actionem ipſorum inteſtinorum ſuſtentandam, ſunt neceſſaria. Haec fluida, quantumvis quaedam eorum in ſtatu ſuo naturali motum periſtalticum augere valeant, omnia, quando acrimonia praedita fuerint, cauſae diarrhoeae potentiſſimae evadunt.

In his enumerandis imprimis notare licet, ſuccum *pancreaticum*, qui, quamvis in ſtatu ſuo naturali, fluidis quae a glandulis ſalivariis ſecernuntur, ſit ſimillimus, et natura miti ac blanda praeditus videatur, eundem tamen non ſolum morbis, qui ejus organum ſecernens afficiunt, ſed etiam medicamentis in maſſam communem fluidorum receptis, quae per hunc egreſſum exeundi proclivitatem oſtendunt, ſaepe vitiari acremque reddi veriſimile eſt. Medicamentum quod hic praeſertim intelligimus hydrargyrus eſt, qui in corpus copioſius ingeſtus, propenſionem inſignem ad augendum acrioremque ſalivam oris reddendam oſtendit. Quoniam, cum is adhibitus eſt, diarrhoea tam ſaepe ſupervenit, non ſine magna probabilitate ſuſpicari licet, analogiam quae inter *pancreas* et ſalivales glandulas exiſtit, illud ſimili cum his affectioni obnoxium reddere. Ita ſaltem opinantur ſcriptores celeberrimi, cujus etiam mentionem facit in prae-

lectionibus

lectionibus suis expertissimus noster praeceptor *Monro*. Verisimillimum etiam est, immo pene certum, quando pancreas inflammatione, schirro, vel suppuratione affectum sit, ipsius succum, tum quantitate, tum qualitate mutari, et inde, in statu acri effusum causam diarrhoeae fieri posse.

Inter humores, de quibus modo loquimur, *bilis* praecipuum locum tenet, quae etiam in statu suo naturali pro stimulo motui intestinorum a medicis habita fuit. Nec quidem dubium est, quin ea, aucta quantitate, saepe effundatur; et verisimile est diarrhoeas, quae in regionibus calidis tam saepe occurrunt, ex hoc fonte praecipue derivari. Quamvis autem ejus quantitas non aucta fuerit, tamen nulla est causa quae nobis non credere persuadeat, eam, quemadmodum alia fluida ex organi eam secernentis, vel fluidorum massae unde provenit vitiis, statu praeter naturam acri effundi, diarrhoeamque efficere posse. Quin et ipsum jecur, ex propriis sibi morbis, materiam saepe effundit purulentam vel saniosam per ductus biliares in tubum alimentarium, quae motum peristalticum certissime accelerat. Huic diarrhoeae speciei ita genitae quidam scriptores nomen *hepatirrhoeae* imposuere.

Humores

Humores autem qui ex iſtis fontibus fluunt non niſi humorum parvam partem conſtituunt, qui in tubum alimentarium infunduntur. Bene enim notum eſt, ex tunicarum inteſtinorum ſectione, eas folliculis numeroſis inſtructas eſſe, qui intra ſe muci quantitatem continent, indeque in hunc tubum infundunt, unde nomen hi *folliculorum mucoſorum* ſibi ſortiti ſint. Hos folliculos eſſe adaptatos ad fluida tenuia et acria quae in illos ab arteriis infunduntur retinenda, donec ſtagnando evadant ſpiſſiora, fiantque blandiora ad tunicas inteſtinorum illinendas, atque adeo eaſdem adverſus res acres tuendas, communis fuit inter phyſiologos opinio. Non minus tamen eſt veriſimile ſaepe fieri, ut fluida, quae in his folliculis ſtagnare debent, in canalem inteſtinorum ſimulac a ſanguine ſecernuntur infundi poſſent, atque in hoc tenui acrique ſtatu motui periſtaltico ſtimulo ſint.

Sed praeter humores qui ex his folliculis mucoſis proveniunt, magna copia fluidi tenuioris in tubum alimentarium per exhalantia, quae in eundem magno numero aperiuntur, perpetuo depluit. Quae vaſa ſatis manifeſta reddiderunt celeberrimi *Kaaw* * *Boerhavaii* injectiones; et haec

* Vide opuſcul. ejus, perſpiratio dicta Hippocrat.

haec nempe exhalantia liquorem ſecernunt, qui ſtricte *inteſtinalis* nuncupatur.

Ex his vaſis fluidi effuſio ſaepe excitari poteſt ſolito copioſior, non ſolum a majore fluidi quantitate in ea impulſa, quae auctam illorum actionem neceſſario reddat, ſed etiam a motus periſtaltici incremento, quod haec vaſa tunicas inteſtinorum tranſeuntia comprimit, majoremque copiam fluidi effundere cogit. Haud quidem probabile eſt, hoc fluidum in ſtatu ſuo naturali motum periſtalticum incitare; ſed verum videtur, cum totum ſyſtema, vel etiam quaedam ejus partes, morbo afficiantur, fluida, quae per vaſa inteſtinalia ſecernuntur, non ſolum acriora reddi, ſed derivata eſſe ex iis quae per alia organa ſecernentia abire ſolebant. Inter haec praecipuus eſt qui per cutem exhalatur, et nunc, ob impeditum per ſuperficiem corporis egreſſum, huc affluit. Urina quoque, quum in *iſchuria renali* quo minus in veſicam tranſeat impediatur, per inteſtina ſaepe abire obſervata fuit. Unde hanc diarrhoeae ſpeciem a clariſſimo *Sauvageſio* ſub nomine *diarrhoeae urinoſae* notatam invenimus *.

Sunt et alii liquores a vaſis abſorbentibus in maſſam communem fluidorum aliquando intro-

 ducti,

* Sauvage, vol. 2. ſpec. 9. pag. 357.

ducti, qui per vasa intestinorum abire, adeoque diarrhoeam gignere, videntur. Hujusmodi est materia purulenta ab ulceribus absorpta, quae, ut scripta medicorum referunt, per hanc viam saepe abiisse reperta fuit *. Quamplurima etiam exempla proferri possent, ubi sanguinis pars serosa in variis corporis cavitatibus, ut in hydropicis, collecta, subito absorpta, et per hunc exitum emissa, diarrhoeam genuit.

Quin et ipsum lac, uti crediderunt et narrarunt Gallorum medici atque chirurgi, ex mammis mulierum lactantium absorptum, per tubum intestinorum abire observatum fuit, et inde orta est diarrhoeae species quae a viro clarissimo *Sauvagesio* sub titulo *coeliacae lacteae* recensetur.

Optimo quoque jure credimus, in communi fluidorum massa ex mutationibus quas in morbis saepe subeunt, talem materiam acrem gigni, quae abire possit per vasa intestinorum excernentia, morbumque de quo agimus saepe excitare. Sic in omni febre, ubi nonnihil fluidorum putredinis locum habere videtur, diarrhoea saepe supervenit, quod ita fieri credere fas sit ex mutata secretionum intestinalium natura. Atque

* Sauvage, spec. 11. pag. 358.

que hoc verisimilius videtur, quando animum adhibemus ad diarrhoeae frequentiam sub finem * *exanthematum*, quales sunt *variolae*, *rubeola*, et *scarlatina*, quae, uti merito crediderunt medici, ex morbida in communi massa acrimonia, ad abeundum per hanc excretionem parata, provenit. In nonnullis etiam morbis † febrilibus idem usu venire verisimile est, ubi observarunt medici morbi *crisin* a diarrhoea superveniente pendere, nullamque in iis crisin, nisi comitante diarrhoea, se ostendere.

3. Multi praeterea abscessus in vicinia intestinorum, scilicet, in visceribus vicinis quae intestinis agglutinari possint, oriuntur, quae acrem suam materiam per erosas intestinorum tunicas in tubum alimentarium infundunt, atque causae diarrhoeae evadunt. Sic etiam abscessus quae in tunicis intestinorum ipsorum formantur, humores suos in tubum ipsum per tunicas interiores ejus erosas immittunt. Hi morbi cl. Sauvagesio sub titulo ‡ *diarrhoeae purulentae* enumerantur, atque illa diarrhoea quam tanquam e mesenterii vomica provenientem idem recenset, hujus

* Sauvag. vol. 2. spec. 6. p. 356.

† Sauvage, spec. 20. pag. 360.

‡ Vol. 2. spec. 2. pag. 358.

hujus forſitan generis habenda eſt. In quibuſdam etiam exemplis, ex ruptis in ſuperficie interna inteſtinorum ipſis vaſis ſanguiferis, fluida effundantur, quae vel ipſa motus periſtaltici ſtimulantia fieri, vel maximam partem materiae excretae praebere poſſint. Hujuſmodi exemplum inſigne nobis praebet morbus, cui nomen *melaena*.

Porro, ſunt etiam res quae intra tubum alimentarium genitae, ibique hoſpitantes, illum irritant, diarrhoeamque ſaepe gignunt. Ex his praecipue * vermes indicare licet, quae vario motu et irritatione diarrhoeam frequenter excitant.

Chylus etiam, caeteraque fluida in hujus tubi cavo exiſtentia, et a quibus abſorptis corporis nutrimentum pendeat, cum a morbis lacteorum quo minus abſorptae vel in vaſa ſanguifera provectae ſint impediantur, in cavitatem inteſtinorum aliquandiu immorantia, vel pro ſtimulo motui periſtaltico, vel per inteſtina deſcendentia, cauſae iſti diarrhoeae ſpeciei ſint, quam auctores *coeliacam* appellarunt.

Denique,

* Sauvage, II. ſpec. 14. p. 358.

Denique, inter caufas diarrhoeae non praetermittenda eft una quaedam, quae quamvis non adeo frequens fit, interdum tamen diarrhoeam fine dubio efficit. Erythema fcilicet, quod totum tractum tubi inteftinorum aliquando afficit, quodque, cum fedem fuam ibi pofuerit, nunquam non diarrhoeam efficere invenitur.

Ex iis omnibus igitur quae jam dicta funt de diarrhoeae formis diverfis (quatenus faltem quod ad morbi caufas attinet diverfae appellari poffint) facile conftabit, diarrhoeam frequentiffime aliorum morborum affectionem *fymptomaticam* effe, atque pro morbo *idiopathico* raro haberi poffe.

Perpendentibus autem quale remedium diarrhoeae adhibendum fit, conftabit fanationem ejus, utpote morbi fymptomatici fanatione morbi primarii niti oportere, et ejus inveftigationem non effe hujus loci.

Quaenam vero fint diarrhoeae exempla, quae pro idiopathica haberi poffint, difficile dictu invenio. Vellem tamen affirmare, motum periftalticum auctum, qui neque a morbo in ullo alia corporis parte, fed a caufis in inteftinis folummodo, atque cum aliqua diuturnitate agentibus oritur, illum folum diarrhoeam gignere quae *idiopathica* proprie vocari debet.

Itaque

Itaque alvi dejectiones solito copiosiores animi affectione subita quadam ac fugaci ortae, pro morbo vix haberi possunt. Si vero hae valde immodicae evaserint, eorum tradetur sanatio cum de diarrhoea idiopathica posthac agendum sit.

Simili ratione diarrhoea ex *hypercatharsi*, quae sive ex medicamento seu ex veneno in intestina, casu aliquo, ingesto oriatur, pro morbo vix habenda est. Attamen, si quando haec modum adeo superare, ut ei remedio opus sit inveniatur, id quoque tradetur postea quum ad curationem diarrhoeae idiopathicae ventum fuerit.

Idem fere dicendum de diarrhoea quodammodo superveniente ex alimentis laxandi qualitatem habentibus copiosius ingestis, quippe quod plerumque sit malum tantum transiens, vel eodem modo quo alia hypercatharseos exempla sanandum. Verum enim vero aliud est diarrhoeae exemplum in tubo alimentario genitae, atque saepe ex causa aliquid diuturnitatis habente provenientis; ex quibus putaret quis hoc verum exemplum esse diarrhoeae idiopathicae, ejus scilicet quae, uti supra diximus, diarrhoea crapulosa nonnunquam nuncupatur. De ea quidem hic loci lubentes ageremus, nisi plane esset ven-

triculi

triculi et non inteſtinorum morbus, nec remediis ſanandus inteſtinis admotis, inque motum periſtalticum directo agentibus, ſed ab iis quae in ventriculum agunt, quaeque ejuſdem vitia corrigendo apta ſunt. Ejuſmodi autem morbi tractatio non hujus diſſertationis eſt.

Sunt et quaedam alia diarrhoeae exempla ubi canalis inteſtinorum afficitur, et quae in eo ipſo canali exorta ibi, modo conſtante, agunt, quae tamen an ſub titulo diarrhoeae idiopathicae comprehendendi ſint, dictu foret difficile. Exempli gratia, ſuccus *pancreaticus*, ut ſupra memoravimus, inſolita quantitate, vel ſtatu acriore effuſus, diarrhoeam forſan efficere poſſit.

Quum autem de remedio diarrhoeae agendum erit, liquebit exempla illa ab affectionibus pancreatis provenientia, non argumenta eſſe hic loci tractanda, tum quod difficile ſit eorum exiſtentiam liquido determinare, tum etiam quod ex iis nonnulla, etſi pro certis comperta fuerint, tamen ex natura ſua immedicabilia ſunt, vel ſaltem medicamentis quae in tubum inteſtinalem, vel in propriam cauſam proximam diarrhoeae agant, non ſunt ſananda. In remedio igitur diarrhoeae idiopathicae inveſtigando, nobis prae-

termittere licet ſpecies illas omnes quae a ſtatu pancreatis pendeant.

Veruntamen alter eſt quem jam diximus fons humoris, in tubum inteſtinalem perpetuo depluentis, ex quo diarrhoea provenire poteſt, ductus nimirum biliares, qui liquores varios effundunt, et quarum effuſionum exiſtentiam ſaepenumero percipere, actioneſque melius intelligere, poſſumus.

Ex his fluidis non dubium eſt quin unum, ipſa ſcilicet bilis, ut antea diximus, in inteſtina infuſa, quod ad quantitatem et acrimoniam, varia eſſe poſſit; et quamvis non eo quantitatis et acrimoniae progreſſa fuerit, ut choleram efficere valeat, tamen ſatis copioſa et acris eſſe poteſt, ut cauſa exiſtat diarrhoeae quae *bilioſae* nomine rite deſignata fuit.

Eſt igitur ut eruditi forſan arbitrentur ejuſmodi malum, ſi diuturnam eſt, diarrhoeam idiopathicam cenſendum eſſe. Non autem, me judice, de ea, ac ſi talis eſſet, hic agere neceſſe eſt, quippe cujus remedium, quatenus ad cholerae naturam accedat, bene intellectum ſit; et quae ulterius neceſſaria forent, ad iſtam bilis redundantiam corrigendam, quae tempeſtatum calidiorum *choleram* vel coelorum calidiorum *diarrhoeam*

rhoeam biliosam efficit, nondum in medicorum scriptis explicata invenio, neque egomet explicare audebo. Hic igitur diarrhoeam biliosam, utpote non idiopathicam, missam facio.

Non hic tamen omittendum, quod et supra notavimus, praeter bilem statu quem diximus vitioso e ductibus biliariis effusam, alios diversi generis humores acres ex jecinoris affectionibus organicis provenientes, ab iisdem ductibus profundi, atque ad diarrhoeam efficiendam valere posse. Sed constabit tales diarrhoeas generis esse symptomatici; ideoque, vel quomódo earum existentia pro certa statuenda, vel medendi methodus exponenda sit dicere, ab instituto meo plane alienum esse.

Observandum etiam, dum mentionem facimus diarrhoeae e bile provenientis, quamquam bilis nec satis quantitatis, vel acrimoniae habeat, ad diarrhoeam excitandam, exemplum tamen est, ubi hicce humor ad hanc rem magnopere conferat. Istud nempe in quo, cum acidum quid vel ex alimenti ingesti natura, vel ex cibo minus recte concocto, in ventriculo abundans, in duodenum copiosius, quam quod bilis quae ibi est recte corrigere possit, infundatur, verisimile est, hancce acidi nimietatem, intestinis sti-

mulo fore potenti, atque diarrhoeam excitaturam, hoc *phaenomeno* praecipue insignitam quod in ea faeces excretae subvirides sint.

Hoc imprimis illustratur a diarrhoea quae * infantibus lactentibus tam saepe evenire solet, quaeque ex nimia lactis, quo se ingurgitant, qualitate acescente oriri videtur. Notum enim est, ut jam supra diximus, ipsum lac sine bilis mixtura ad ejusmodi colorem efficiendum nequaquam sufficere.

Posset igitur hic morbus tanquam diarrhoeae idiopathicae speciem considerari, ideoque expectandum esset mihi hic tractari debere. Sed opinor hoc non recte fieri posse, propterea quod morbus a causa quae originem sumit in ventriculo, vel ex natura alimenti ingesti, vel ex ipso alimento male concocto, oriatur, quique non remediis in statum motus peristaltici in intestinis agentibus, sed eodem curationis genere quo morbus ventriculi tractari solet, sit sanandus. Quod quidem vel a rebus quae minus facile concoqui possent cavendo, vel ventriculi tonum redintegrando, faciendum est. Est quidem diarrhoeae species quam, ut jam observavimus, diarrhoeam

* Sauvages vol. 2. spec. 19. pag. 359.

arrhoeam *crapulosam* nuncupare fas esset, quaeue cum diarrhoea idiopathica saepe quidem conjuncta invenitur; sed, quia ipsa non revera idiopathica, sed symptomatica est, ut eam tanquam morbum primarium ad examen hic revocem minime necesse est.

His igitur, aliisque id genus, expeditis, in hoc tentamine contendere volo diarrhoeam proprie idiopathicam dicendam, eam esse quae ex aucta excretione exhalationis et muci intestinorum vel alterutrius in statu ad stimulandum motum peristalticum idoneo oritur; et ex conditionibus in ipsis intestinis vel in aliis corporis partibus quae constantia quadam ejusmodi excretiones efficere possint. Talis diarrhoea dicta fuit, atque etiamnum dici potest, *mucosa;* etenim opinor fluidi mucosi excretionem semper adesse; et, quoniam dictu sit impossibile, quantae sint partes in hac re quas sustineat altera excretio, conjicique posset causas allegandas binas has semper excretiones simul comprehensuras, idcirco pro toto morbo nomen *diarrhoeae mucosae* usurpo.

DIAR-

DIARRHOEA MUCOSA.

Hujus ſymptomata ſunt dejectiones frequentes, liquidae, aliquanto faeculentae, interdum ex materia plane mucoſa, ſed nullo ſanguine, neque fluido praeter naturam ullo, conſtantes. Has dejectiones praecedunt tormina plus minus violenta; raro autem ſequitur teneſmus, gradu etiam minuto, nec is quidem niſi qui ab humore acri, anum irritante, proveniat. Morbus interdum, ſed raro, cum febre conjunctum ſe oſtendit, vel cum ſymptomatis paroxyſmi febrilis incipit. Quamvis autem ſit ſine febre, tamen ſitis fere ſemper adeſt. Multum plerumque *flatulentiae* praeſto eſt, tum inteſtinis, tum ventriculo incluſae, et dejectiones ſaepe praecedunt, ac comitantur borborygmi, ventriculus ſaepe anorexia afficitur, et ſaepe quidem cibi non concocti ſigna oſtendit. Quae vero hunc morbum in omnibus fere ſuis ſymptomatis a dyſenteria et cholera diſtinguunt, ſupra jam ſatis ample tradita fuerunt.

Hunc

Hunc morbum ullius aetatis aut temperamenti esse percipere nequeo, quippe qui mortales omnium aetatum et constitutionum aliquando aggrediatur. Facilius tamen eas afficit qui in statu suo consueto alvo solutae sunt obnoxii, quae res forsan fere semper motum peristalticum celeriorem aut irritabiliorem, vel simul forsan affluxum copiosiorem fluidorum in tubum intestinalem ostendit.

Cum de variis aucti motus peristaltici causis jam diximus, et de iis quae vel symptomaticam vel idiopathicam diarrhoeam dare possint statuimus, ut de diarrhoeae mucosae causis quae a statu fluidi *intestinalis* solo pendent nunc agamus.

In his fluidis acrimonia ex causis quae nos latent oriri possit, eamque tantum supponere licet, quum simul in systemate sit generalis, uti in *scorbuto*, *hectica*, *cancro*, aliisque morbis in quibus acrimoniae aliquid, una cum liquore *intestinali*, in intestina immitti possit, atque diarrhoeam efficere. Ibi autem morbus affectio plane symptomatica est, ideoque hic non considerandus. Existimandum est igitur, acrimoniam fluidorum intestinalium, quae pro causa diarrhoeae idiopathicae a nobis habenda sit, ex iis quae eo-

rum

rum affluxum auctum comitantur praecipue ac tantum oriri, locumque igitur in eorum ſecretione ſolummodo habere.

Veriſimile eſt liquorem *inteſtinalem* aucta quantitate, etiam quod ad qualitatem ſuam mutari, extremitateſque arteriarum exhalantium, pro puro fluido aquoſo effuſo, ſummopere ſaltem miti, portionem acris ſeroſitatis effundere poſſe. Sed, quanquam hoc veriſimile videtur, conjectura eſt adhuc, ex eo quod evenit, non bene confirmata. Hoc autem certius eſt, mucum vix unquam ſolito copioſiorem, niſi ſimul acriorem effundi. Ex omnibus quae de muco in variis corporis partibus novimus veriſimillimum videtur eum, uti ab arteriarum extremitatibus ſecernitur, in ſtatu tenui atque acri eſſe, eumque tantum in folliculis ad illum recipiendum et retinendum paratis ſtagnantem, inde acquirere lenitatem, ſpiſſitatemque, quas in illo obſervamus, dum ex folliculis in ſuperficiem et membranas quas illinere deſtinetur exudat. Ex hoc autem intelligitur, quod quum ſecretio ab arteriarum extremitatibus ſolito copioſior ſit, ea quidem impediet qūo minus in folliculis ſtagnet, atque adeo in acri ſuo ſtatu in membranarum ſuperficiem effundatur. Si hoc ullibi eveniat, fieri

certe

certe poteſt in tubo *inteſtinali* per totam longitudinem ſuam magno folliculorum numero inſtructo, qui igitur ingentem aliquando acris fluidi copiam effundere poteſt. Inteſtinalium fluidorum quantitas et ſimul acrimonia pro cauſa quidem praecipua diarrhoeae idiopathicae haberi poteſt, quamque titulo *diarrhoeae mucoſae* inſignivimus; ſed porro neceſſarium eſt, ut cauſas etiam quae augmentum excretionum inteſtinalium efficiant inveſtigare conarer.

Earum maximi eſſe momenti, et propterea imprimis notanda mihi videtur, exhalationis per cutem obſtructio. Bene notum eſt, quotidianam excretionem cujuſdam materiae ad certam quantitatem ab animali oeconomia neceſſario requiri; hanc etiam, magna ex parte, per cutaneam exhalationem fieri, et quando haec impeditur, naturam ſive oeconomiae leges, iſtam materiam alio avertere, ut hoc modo quantitas neceſſaria e corpore ejiciatur. Veriſimile eſt hoc ſaepe fieri aucta a pulmonibus exhalatione; et manifeſto ſaepe fit aucta per meatus urinarios excretione. Hae forſan naturae methodi maxime conſuetae ſunt; evidens tamen eſt, exhalationem per cutem impeditam aliorſum ſaepe dirigi, et ſpeciatim ſaepe in glandulas mucoſas in-

qua-

quarundam membranarum ſuperficie interna poſitas, uti in *coryza, cynanche tonſillari*, et *catarrho* videre eſt. Quoniam vero, quum ſanguinis ad corporis ſuperficiem fluxui reſiſtitur, inde neceſſario oriatur auctus ad partes interiores affluxus, ſatis probabile eſt, hunc ad inteſtina ſaepe directum fore. Hinc vero fieri poteſt, ut exhalatio per cutem impedita ad numeroſiſſimas glandulas mucoſas in inteſtinorum ſuperficie interna dirigatur, adeoque ad diarrhoeam mucoſam efficiendam valeat. Patebit igitur, cauſam hujus diarrhoeae remotam, exhalationem per cutem obſtructam frequenter eſſe poſſe, eamque porro a ſolita hujus obſtructionis cauſa, frigore ſcilicet ſuperficiei corporis admoto, ſaepe provenire.

Frigus exhalationem per cutem impedit, praeſertim toti corporis ſuperficiei admotum. Sed cum cujuſcunque cutis partis cum omnibus aliis ejuſdem partibus conſenſus eſt, et communicatio facilis, ita frigoris alicujus momenti gradus, uni alicui parti admotum, totius conſtrictionem, et inde obſtructam exhalationem impedire, adeoque diarrhoeam etiam efficere poſſit. Eſt tamen una corporis pars, pedes ſcilicet, in quibus frigoris admoti actio imprimis eſt notabilis. Nam non

ſolum

ſolum hic, uti in aliis partibus, frigus exhalationem per cutem impediendo, ſed etiam ex ſpeciali conſenſu qui inter pedes et canalem alimentarium intercedit, operatur. E. g. frigoris pedibus admoti effectus in colica inducenda bene noti ſunt, et ejuſdem in vires quae motum periſtalticum ſuſtentant magnos eſſe demonſtrant. Minime tamen putare neceſſe eſt effectum hunc in affectionibus tantum ſpaſmodicis ſubſiſtere; nam poſſit etiam totum periſtalticum motum efficere, adeo ut omnes excretiones inteſtinales augeat, et hoc modo diarrhoeam certius gignat, uti quidem ſaepiſſime facere compertum eſt.

Praeter frigus admotum, quaenam aliae obſtructae per cutem exhalationis cauſae exiſtere poſſint parum conſtat. Multas autem alias eſſe conjicere licet, et imprimis quaecunque ſeu in corpore, ſive in animo agant, quae ſanguinis circuitum, atque adeo fluxum ejus verſus corporis ſuperficiem minuunt.

In his enim omnibus languidae et parcioris per cutem exhalationis, atque exinde copioſioris ad partes internas affluxus exemplis, plura ſimul contingere poſſint, quae curſum fluidorum ad inteſtina promoveant, atque ita diarrhoeam eodem

modo quo per cutem exhalationem directe impeditam efficiant.

Haec sunt diarrhoeae mucosae causae diversae, quatenus eos indagare possumus. Proximum igitur erit diarrhoeae sic constitutae effectus singulatim examinare, quo facilius quisnam sit morbi eventus determinare valeamus.

Imprimis igitur, hujus morbi effectus erit, ut seipsum continuet, atque excretionem morbidam augeat. Ex quibus necesse est, ut totum corpus sit exhaustum et debilitatum, atque sanguinis porro circuitus ad corporis superficiem vis, multo debilior fiat; ideoque, tum propter hanc debilitatem, tum propter influxum in intestina factum, necesse etiam est, ut per cutem exhalatio magnopere diminuatur, atque ut diarrhoea, magis magisque aucta, perpetuo progrediatur. Verisimile simul est, dum motus intestinorum peristalticus acceleratur, itidem acceleratum fore motum ventriculi, et tum ex debilitate, tum ex evacuatione accelerata impediente quo minus concoctio sit absoluta, necesse est ut ventriculus quantitatem crudae materiae in intestina perpetuo immittat, unde diarrhoea augebitur, corpusque parte alimenti sui privabitur. Ex omnibus his causis effectus diarrhoeae in tono totius systematis, et

praesertim

praesertim tubi alimentarii debilitando, facile apparebit. Hi effectus, quod ad motum, diversi esse possunt, et in variis hominibus varii, in multis autem exemplis periculosi, et ad quendam gradum provecti lethales evincant.

His perpensis, proximum esset; ut morbi remedium indicare aggrederemur. Errores vero eos in quos medici, in hujusce morbi curatione quotidiana versati, incidisse videntur, prius examinare forsan operae pretium foret. Inter hos enim in usu fuit, imprimis catharticum, praesertim rhabarbarum, praescribere; nullum autem fundamen, in quo mos ejusmodi generalis nitatur, reperire possum. Nulla enim est hic acrimonia evacuanda, vel si revera adsit, ipsa sui evacuationem, quatenus hoc ulli bono inservire possit, efficiet. Acrimonia quae hic adest in diarrhoea de qua agimus, nec in cavo intestinorum genita est, nec ei ullo modo inhaeret, sed in eam ex mucosis excernentibus, vel intestinorum exhalantibus infunditur, et quatenus motum peristalticum excitet, sibi curae est sui ipsius evacuatio, quae adeo parum ad morbi sanationem confert, ut potius affluxum ulteriorem similis materiae ad continuandum et promovendum morbum augeat.

Ex

Ex iis quae protulimus de acrimonia quae in hoc morbo adeſſe poſſit, manifeſtum erit, additamentum ullius ſtimuli periſtalticum motum amplius excitantis, plus adhuc aucturum acrioris materiae affluxum; et quamvis ad celeriorem ejus excretionem etiam conferre poſſit, fontem ejus penitus exhaurire nequibit, et potius ut copioſior ſit efficiet, atque hoc modo morbum continuabit maligrioremque reddet. Quantum hoc omne ad uſum catharticorum in diarrhoea ſpectant ſatis erit manifeſtum, et inde conſtabit praxin vulgarem in hac re admodum eſſe ineptam. Falſis enim notionibus de eo quod ad morbi naturam attinet plane nititur.

Hoc autem poſthabito, proxime nobis inquirendum eſt, qualis ſit morbo huic medendi methodus convenientiſſima. Quum, in omnibus aliis morbis medendis, prima indicatio eſt, ut cauſas remotas auferamus; in hoc igitur indicatio erit obſtructae exhalationis per cutem inſtauratio, atque exinde frigoris admoti obſtructionem efficientis devitatio.

In hunc finem corpus calidum praeſtandum eſt, quod forſan optime faciendum eſt, aegrum in lectum reponendo et bene tegendo; vel, ſi hoc difficile reddat, dejectionum fre-

frequens recurſus, aegrum e lecto ſublatum bene veſtitum oportet, et praeſertim panno laneo ubique cuti admoto. Alii praeterea modi ad exhalationem per cutem renovandam inveniendi ſunt, idque curſum copioſiorem ſanguinis ad corporis ſuperficiem dirigendo. Una, eaque potentiſſima, hoc faciendi methodus eſt, qua nauſeam et vomitum, ipecacuanha vel tartaro emetico ciemus. Quam autem efficacia haec medicamenta ſint in ſanguinis fluxum ad corporis ſuperficiem dirigendo, jam bene intellectum eſt, eorumque effectus in catarrho ac diarrhoea ſaepe experiendo compertum fuit. Emeticum quidem *antimoniale* ſine dubio remedium potentiſſimum eſt. Quoniam vero ad purgandum in diarrhoea proclive eſt, ipecacuanham fere ſemper praetulerim. Haec enim, praeter qualitatem ſuam quae ad corporis ſuperficiem dirigat, exhalationemque per cutem inſtaurat, vomitum excitando, in diarrhoea maximo uſui eſſe poteſt. Atque etiam, quamvis diarrhoea a cibo male concocto primitus non orta fuerit, tamen, uti ſupra monſtratum eſt, hic morbus tonum ventriculi debilitat, et pravam concoctionem plerumque inducit, adeoque materias crudas et acres ventriculus in inteſtina immittit,

mittit, quae ſaepiſſime diarrhoeam maligniorem reddant. Huic tamen vomitione quodammodo obviam iri poſſet; quia haec non ſolum ventriculi cruditates ſurſum ejicit, ſed etiam moderate adhibita, ventriculum ad concoctionem validiorem excitat.

Poſſibile eſt etiam bilis ſurſum excretione, ejus quantitatem qui alioquin in inteſtina deſcenderet, ibique pro ſtimulo eſſet, minuendo, in diarrhoea uſui eſſet poſſe; utrum etiam vomitus in diarrhoea non utilis eſſe poſſet, motum periſtalticum, nimis jam in inferiorem partem proclivem, invertendo, determinare nollem; id autem veriſimile videtur; nam quodammodo certum eſt, motum periſtalticum, inter vomendum, per longum inteſtinorum ſpatium, pro tempore inverſum eſſe. Ex quibus omnibus ſatis perſpicuum erit, vomitum, ope emetici excitatum, remedium eſſe ſanandae diarrhoeae bene accommodatum.

Modus alius ad corporis ſuperficiem dirigendi, exhalationemque per cutem inſtaurandi, ex adhibitis diaphoreticis vel ſudorificis eſſe poteſt, atque ad hanc rem medicamentum efficaciſſimum ſine dubio eſt *pulvis Doveri*, opium ſcilicet cum ipecacuanha et ſale neutro conjunctum. Quod quidem raro in diarrhoea adhibitum fuit,

ſed

ſed a medico experto accepi, adhibitum, ſucceſſus admodum felices habuiſſe. Hoc tamen notandum, pulverem iſtum non eſſe tanta doſi exhibendum, ut ſudorem copioſum et diuturnum moveat. Nam quum hoc, ſine incommodo, ſaepius repeti non poſſet, ideoque exhalationem per cutem, per intervalla multum ſe remittere ſineret, magis ad rem erit, illud medicamentum parvis doſibus, quae ſaepius magis commode repeti poſſent, adminiſtrare. Hoc autem mihi obſervandum ſuggerit, morem, qui invaluit opium cum vini antimonialis vel tartari emetici portione commixtum exhibendi, ſingulis noctibus tempore decubitus, ſaepe in diarrhoea felici ſucceſſu uſum fuiſſe. Talis quidem mos haud multum diſſimilis eſt, pulveris Doveri uſui quam modo propoſuimus. Nobis tamen perſuaſum eſt pulverem huncce adhibitum, utpote certiſſime atque efficaciſſime ad ſuperficiem corporis ducentem, ſemper a peritis anteponendum fore.

Nulla ratione virium ejus diaphoreticorum habita, opium diarrhoeae remedium eſt, et propterea frequentiſſime adhibitum. Irritabilitatem fibrarum muſcularium inteſtinorum aufert, ideoque motum periſtalticum minuit et pene ſuſpendit; unde cauſam proximam diarrhoeae directo

recto aggreditur, et quoniam ſimul vim diaphoreticam conſtanter exerit, ſemper tutum et ſaepe ex ſeipſo, ſufficiens ad hunc morbum ſanandum, remedium eſt. Irritabilitatem adimendo, ſpaſmodicas affectiones, tormina nimium, quae tam frequenter diarrhoeam comitantur, fere certo aufert. Opium igitur in hoc morbo remedium eſt non minus optabile quam utile: Nec aliquid obſtat, quo minus eo libere utamur. In dyſenteria, non item, quippe in hac tamen pars inteſtinorum ſemper conſtrictionem patitur quae uſu opii augeri poſſet. Sed quia nulla adeſt in diarrhoea ejuſmodi conſtrictio, nihil impedit, quo minus opium in hoc morbo adhibeatur.

Multi medicorum uſum opii damnarunt, rati eum evacuationem impedire, indeque materiae acris quae evacuari deberet, retentionem inducere; non tamen eſt cur hoc in diarrhoea mucoſa metueremus; quum enim opium viribus ſuis diaphoreticis haud parum confert ad proclivitatem verſus inteſtina impediendam, ita irritabilitate excernentium adempta, fluidorum inteſtinalium, atque adeo pravi acris in cavitatem inteſtinorum excretionem certe minuit. Hoc modo majus emolumenti quam damni allaturum

cre-

credendum eſt, et malum quod ex retentione acrium hac occaſione ſuſpicandum eſſet, omnino incertum et forſan prorſus negligendum eſt. Veriſimile enim eſt, ex folliculorum mucoſorum excretione ſuſpenſa, et liquoris in iiſdem ſtagnatione, ut humor poſtea effuſus mitior et multo minus irritans fieret.

Remedia porro aſtringentia, eaque valde varia, in diarrhoeâ ſaepe ſunt adhibita; et quorum multa, propter vim ſuam in hoc morbo ſanando efficacem, valde laudata ſunt. Non quidem dubitandum, ea ſaepe utilia fuiſſe; ſed unde hoc fiat non ſemper, meo judicio, recte explicatur. Diarrhoeam plerumque a laxitate fibrarum muſcularium in tubo inteſtinorum oriri a vulgo medicorum putatum fuit; et nos ipſi fatemur, laxitatem quandam ſeu debilitatem fibris muſcularibus ſtatum irritabilem afferre poſſe; unde actio motus periſtaltici fortaſſis augeretur, et diarrhoea ex cauſis levioribus excitaretur; ideoque aſtringentia, laxitatem et inde irritabilitatem amovendo, interdum uſui eſſe poſſunt. Attamen valde dubito, an res hujuſmodi unquam eveniat.

Mihi curae fuit ſupra oſtendere, faeces, ſeu quae tubo inteſtinorum continentur, propria ſua

gravitate ſola non deſcendere, debilitatemque motus periſtaltici plerumque alvum tardam, ſeu ſtatum diarrrhoeae contrarium, inducere; atque me vix continere poſſum quin affirmem, diarrhoeam rariſſime illis ſupervenire, qui debilitatis in tubo inteſtinorum ſigna prius oſtendiſſent. Simul, quoniam diarrhoeam ab accelerata deorſum actione motus periſtaltici ſemper pendere diximus, hoc a ſtimulo muſcularibus inteſtinorum fibris admoto oriri ſemper videtur; et ex ſtimulo admoto in omnibus ſimiliter exiſtit diarrhoea, inteſtinis nullo modo, quantum a nobis percipi poſſit, neceſſario ad huic rei faven-dum praediſpoſitis. E. g. in purgantibus adminiſtrandis, ſtatus irritabilis in quibuſdam hominibus tantus ſit, ut parva ejuſmodi medicamenti portio, copioſam alvi dejectionem efficiat: Dato autem irritabilitatis ſtatu, novimus, quo majores ſint aegroti vires, eo majorem, quod ad quantitatem atque ſtimulandi vim, medicamenti portionem eſſe debere.

Ex quibus omnibus mihi colligere videor, aſtringentia non, uti vulgo putant, in laxitate aut debilitate fibrarum muſcularium inteſtinorum corrigenda operari, et hoc alio modo explicari oportere. Poſſibile quidem eſt, aſtringentia contra-

trahenda et inde augenda denſitate et fibrarum muſcularium robore, earum ſtatum irritabilem aliquantum diminuere, et hoc modo contra diarrhoeam uſui eſſe poſſe; ſed effectum eorum, ad hanc rem multum conferre meipſum ut credam inducere nequeo. Ea igitur operari opinor ora conſtringendo excernentium quae fluida in inteſtina infundunt, et a quibus praeſertim effunditur, ſtimulus qui diarrhoeam excitat: Dumque hoc modo obviam itur fluidi mucoſi perpetuae effuſioni, idem ut ſtagnet, atque mitius fiat, uti ſupra dictum eſt, efficiunt.

Hoc modo, uti ego opinor, aſtringentia diarrhoeae remedio ſunt. Utrum tamen haec medendi methodus ſemper tuta ſit, atque idonea, determinare nequeo. Si ſanguinis fluxus ad inteſtina plenus ſit, oppoſitione facta ne ibi humores effundantur, periculum inde oriri poteſt, vel propter vaſa inteſtinalia infarcta, vel propter fluidorum directionem in alias partes ex quibus facile effundi non poſſunt. His mecum reputatis, opinari vellem, aſtringentia in recente diarrhoea adhiberi non debere, niſi in mitiſſima morbi ſpecie, vel ſaltem donec remediis ſupra memoratis, fluidorum curſus ad corporis ſuperficiem dirigatur, et exhalationis per cutem obſtructio removeatur. Itaque ſi

laxitas

laxitas in inteſtina excernentium, per diuturnam effuſionem magnopere aucta fuerit, morbique continuatio a laxitate hujuſmodi, potius quam ab aliqua aucta proclivitate in ſecernentia, ortum fuerit, aſtringentibus tum praecipue utendum eſt.

Apud ſcriptores de materia medica, ejuſmodi remediorum multa et varia recenſentur, et viribus admodum diverſis certe praedita ſunt. Sed eorum ſelectionem ſatis peritam exhibere equidem nequeo; et notatum ſolummodo velim, medicamentum nobis nuper innotuiſſe, cui nomen *gummi kino*, quod potentiſſimum videtur, et, quia in *menſtruo* vel aquoſo vel *ſpirituoſo* ſolutu facile ſit, ad exhibitionem omnino commodiſſimum eſſe poteſt.

Curationem autem diarrhoeae hic miſſam facere non poſſum, priuſquam in hac monitum perutile dederim. Hoc eſt, quod ex diarrhoea convaleſcentes quam cito ſub dio eſſe, atque exercitationem ferre valeant, quotidie vel equo vel rheda vehi oportere. Quantum hujuſmodi exercitatio ad promovendam per cutem exhalationem, et ad affluxum verſus inteſtina avertendum, conferre poſſit, bene norunt medici,

dici, nullaque alia re magis manifeſtum eſt, quam a navigatione, ſub qua alvus plerumque maxime conſtipata fit. Simul tamen monendum eſt, geſtationem in primis tentaminibus neceſſario leniorem brevioremque eſſe debere; ſed niſi ſenſim longior fieri poſſit, et quotidie fere adhibeatur, ad v res aegri refoveandas multum conferre non valebit.

F I N I S.

CORRIGENDA.

Pag. 6.	*lin.* 8. *a fine,*	*pro* morbis	*lege*	morbus.
8.	2.	ſubito		ſubitae.
12.	15. 16.	cum quae		cumque.
13.	16.	adhibiti		adhibitae.
16.	*ult.*	*Beerhavaii*		*Boerhaavii.*
21.	7. *a fin.*	poſſint		poſſit.
et	5. *a fin.*	ullo		ulla.
23.	11.	comprehendendi		comprehendenda.
24.	8. *a fin.*	diuturnam		diuturnum.
27.	1. 2.	quae ue		quaeque.
35.	5.	evineant		evadunt.
38.	9.	*poſt* minuendo *inſere* vomitum.		
39.	6. *a fin.*	*pro* diaphoreticorum, *lege* diaphoreticarum.		
40.	10.	*dele* tamen.		
45.	*lin.* penult.	*pro* reſoveandas, *lege* reſovendas.		